

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Ioannis Andrae Hoffmanni Ivris Vtrivsque Doctoris In  
Academia Ienensi Collectio Selectorvm Opvscvlvm De  
Vnionibvs Electorvm S.R.I.**

**Hofmann, Johann Andreas**

**Ienae, MDCCLII**

**VD18 12896357**

Capvt XXI. De Ordine Proceſſionis Inter Archiepiſcopos.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18247**

actus alios, pro sacri Imperii honore vel opportunitate gerendos, omni tempore assumi sine contradictione quolibet & admitti. §. 2. Nec aliquid praemissorum ab altero, cum sint & esse debeant inseparabilia, diuidi, vel vlllo tempore debeat separari, aut in iudicio, vel extra, diuisim repeti valeat, aut euinci, vel etiam, per sententiam separari, nec aliquis vnum sine alio impetens audiatur. §. 3. Quod si per errorem vel alias auditus quis fuerit, aut processus, iudicium, sententia, vel aliquid huiusmodi, contra praesentem dispositionem nostram emanauerit, seu quomolibet attentari contigerit, hoc totum, & omnia ex his, & quolibet eorum sequentia, eo ipso viribus non subsistant.

### CAPVT XXI.

#### DE ORDINE PROCESSIONIS INTER ARCHIEPISCOPOS.

##### §. I.

Quoniam autem superius in principio constitutionum nostrarum praesentium, circa ordinem sessionis Ecclesiasticorum Principum Electorum in consilio & in mensa, & alias, quotiens Imperialem Curiam celebrari, seu Principes Electores deinceps cum Imperatore vel Rege Romanorum congregari contigerit, sufficienter duximus providendum, super qua praeis audiuimus temporibus pluries disceptatum. Expedire credimus etiam processiois & deambulationis inter eos ordinem diffinire.

§. II. Quapropter hoc perpetuo Imperiali Edicto decernimus, vt quotiescunque in congregatione Imperatoris vel Regis Romanorum, & Principum praedictorum, Imperatore vel Rege ipso deambulante, insignia ante faciem suam portari contigerit, Archiepiscopus Treuirensis in directa diametrali linea ante Imperatorem vel Regem transeat, illique soli medii inter eos ambulent, quos Imperialia vel Regalia continget Insignia deportare.

§. III. Dum



§. III. Dum autem Imperator vel Rex absque insigniis eisdem inceserit; Ex tunc idem Archiepiscopus Imperatorem vel Regem praefato modo praecedat, ita quod nemo penitus inter eos medius habeatur, aliis duobus Archiepiscopis Electoribus loca sua iuxta distinctionem Provinciarum suarum, circa sessionem (\*) superius declaratam, etiam circa processionem perpetuo servaturis.

*CAPVT XXII.*

DE ORDINE PROCESSIONIS PRINCIPVM ELECTORVM, ET PER QVOS INSIGNIA DEPORTENTVR.

§. I.

**A**d declarandum autem in Imperatoris vel Regis Romanorum deambulantis praesentia, processionis ordinem Principum Electorum, de quo supra fecimus mentionem, statuimus, vt, quotiescunque in celebratione Imperialis Curiae, Principes Electores cum Imperatore vel Rege Romanorum in quibuscunque actibus vel solennitatibus, processionaliter ambulare contigerit, & Imperialia vel Regalia debuerint insignia deportari, Dux Saxoniae, Imperialem vel Regalem ensẽ deferens, Imperatorem seu Regem immediate praecedat, & inter illum & Archiepiscopum Treuerensem medius habeatur. §. 2. Comes vero Palatinus pomum Imperiale portans, a latere dextro. §. 3. Marchio Brandenburgensis sceptrum deferens, a sinistro latere ipsius Ducis Saxoniae linealiter gradientur. §. 4. Rex autem Bohemiae Imperatorem seu Regem ipsum immediate, nullo interueniente, sequatur.

*CAPVT XXIII.*

DE BENEDICTIONIBVS ARCHIEPISCO-  
PORVM IN PRAESENTIA IMPERATORIS.

§. I.

**Q**uoties insuper in Imperatoris vel Regis Romanorum praesentia, Missarum solemnina celebrari, ac Moguntinen-

(\*) Cap. 3.